Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2029

Quelle:
Copyright:

bus in aere uiuentibus. Singulare hic *Intelligentiarum* et Geniorum Systema. C. 4. *de Electis.* Homines hic alii *Cainici*, *qui spiritu nequam duplici afficiuntur*, alii *Abelitici*, *qui spiritu nequam simplici decipiuntur.* C. 8. *de Somniis et an per ea diuinari possit.* Hic ἐκ τȣ τριποδος: *Idem igitur est (ut uobis magnum reserem mysterium) erigere figuram cæli recte et probe somnia interpretari. qui enim nouit quæ in cælo requirantur ad erectionem figuræ cælestis, is nouit quæ in minori mundo* (homine) *requirantur ad interpretanda somnia* &c. C. 12. *de Crimine læsæ Maiestatis.* C. 13. *de Lumine Stellarum.* C. 21. *de Sede Animæ Rationalis.* C. 33. *de Maris Estu et Reciprocacione.* C. 35. *De Sacramento seu Eucharistia.* Maxime prolixa contra Catholicos Disputatio. C. 37. *De Manu arefacta. Quomodo naturaliter presente Reo post multos Annos stillet.* Respondet Olistus: *Grauis quæstio est et sæpius ab imperatore Cæsare Ferdinando inter prandendum agitata et uentilata, ad quam nemo apte respondere poterat.* Atque hic *Julium Alexandrinum* Medicum, *Steph. Amorphortium a Laureburgo* et *Magnum ab Eck* nominat, et addit: *Ego uero breuiter ob duas causas id fieri aio, quarum altera est resolutionis, altera uero antipathiæ* &c. Atque ex his Lector de *Libro* etiam II. conjiciat; III. enim unice *Astronomicus* est, dispiciatque, an aliquid harum *Noctium*, ut *Gellii* verbo utar, *Heidelbergensium* in lucem protrahi mereatur, cum hactenus, quod sciam, Eruditos latuerint.

DXXX.

Codex chartaceus ital. Sec. XVI. Folior. 65. 4. Tractatus est contra realem Christi in Eucharistia praesentiam, et Missae Sacrificium *impurissimi*, ut *Theod. Bezae* verbo utar, *Hypocritae Bernardini Ochini Senensis*, qui deserto FF. Min. Capucinorum ordine, ob disseminatos errores variis e regionibus exactus, per *Moraviam* iter habens una cum prolibus peste adflatus obiit *Slavcoviae* seu *Austerlitii* a. 1564. aet. 77. Codex inscriptus est: *Per Bernardino Occhino*, primusque ejus Titulus: *Qual causa m' habbi mosso à scriuer della Cena del Signore.* Initium: *Benche fra tutte le verità, che 'l Christiano è obligato à credere, quella della corporal' assentia di Christo dal Sacramento della cena sia tra tutte l'altre chiarissima* &c. Objacet mihi *Disputa di M. Bernardino Ochino da Siena intorno alla presenza del corpo di Giesu Christo nel Sacramento della Cena. Non mai per l'adietro stampata. In Basilea* M. D. LXI. 8. item ejus Versio inscripta: *Liber de Corporis Christi Praesentia in Coenae Sacramento* &c. pariter *Basileae*, sed absque anno 8. Indicata utraque a *Joh. Vogtio* in *Catal. Libb. rar.* verum vix visa a *Cph. Sandio*, ut e *Biblioth. Antitrinit.* p. 924